



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Croesvs Et Codrvs. hoc est, Copiæ Et Inopiæ Damna vel
Lvcra, à bono iustoq[ue] Mundi Governatore Deo
Distribvta**

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1648

§. 13. Alia noui Testamenti pauperes curantium exempla.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52359)

§. XIII.

Alia novi Testamenti pauperes curantium exempla.

Quamquam sanè multæ fuerunt præclaræ, quæ id factitarunt. Quis regiam illam mentem Elisabethæ nescit, quanta fuerit amatrix & nutrix egenorum? quis Redigundas non nouit miraculis, ob pauperes adiutos, illustratas? S. Birgitta vidua multis reuelationibus nobilitata, infirmorum, morbidorum, & pauperum, felix & inclita mater eleemosynas largissimas præstabat. Habebat autem magnas ades pauperibus deputatas & in ipsas feminas, quæ illorum ministerio semper occuparentur. Sed & ipsa cum multa humilitate non raro illis inferuebat, lauans, & osculans pedes eorum. S. Anatolia Diodori filium cum à malo dæmone liberaasset, adijt eam Diodorus cum vxore, obtulitque ingentem vim pecuniarum. Sed S. Anatolia nihil penitus accipiens, dixit: *Vade, & egenis Christianis, atque inopibus eroga: tu verò crede in Christum, una cum tuis, & liberaberis.* Nimirum opes Anatolia à se in pauperes, quemadmodum alij labores solent, deriuauit. Numquam ad finem, in hoc genere argumenti, decurret oratio, si omnia velim attingere exempla.

Nullas

Surius 23.
Iulij.

Sur. 9.
Iulij.

Nullus sanctus, nulla sancta fuit, quæ misericors non fuit. Hanc enim virtutem voluit diuina sapientia idcirco extendi, ut sua quoque erga pauperes cura extendere-
 tur. Neque potest vllam in rem pecunia vtilius expendi, quàm quæ expenditur in charitatem. Quæ de causa *Frater quidam interrogauit Pastorem dicens: Dimissa est mihi omnis hereditas, quid facio ex ea? Et dicit ei Abbas Pastor. Vade, & post tres dies veni, & dico tibi. Venit autem, sicut presignit, & dicit ei senex: Quid tibi habeo dicere, frater? Si dixerò, da eam in Ecclesiam, clerici sibi facient conuicia ex ea: Si autem dixerò, da eam parentibus tuis; non est tibi merces: si verò dicam, da pauperibus, securus eris. Quid quid ergo vis, vade, fac.*

Apud Heribert.
 Rosveidq;
 lib. 5. de
 vitis PP.
 libell. 10.
 de discra
 n. 55.

